

Kazimierz Nasiłowski

De potestate sacerdotali secundum Gratianum : (continuatio)

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 20/1-2, 11-39

1977

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

KAZIMIERZ NASIŁOWSKI

DE POTESTATE SACERDOTALI SECUNDUM GRATIANUM
(*continuatio*)

Caput tertium

**DE POTESTATUM DISTINCTIONE PECULIARI RATIONE HABITA
POTESTATIS NON SACRAMENTALIS NOMINE EXSECUTIONIS
NUNCUPATAE**

De executione in § 3 dicti Gratiani p. c. 97 C. I. q. 1 annexi haec legimus: „Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus *aliud esse potestatem* distribuendi sacros ordines, *aliud esse executionem illius potestatis*. Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, *offitium et executionem sui offitii* ex consecratione adipiscuntur.”

Ut patet, Gratianus in allato fragmento de *executione potestatis distribuendi sacros ordines* et de *executione officii disserit*. Quia autem significatio nominis executionis non liquet, nomen enim hoc et ad simplicem actionem, et ad potestatis in actum deductionem, et ad ipsam potestatem designandam spectat, quoniam igitur ex enumeratis significationibus huic verbo a Magistro reapse indita sit, merito quaeritur.

Prima tamen ex tribus praefatis et possibilibus executionis significationibus in considerationem nostram hic non venit, nam Gratianus non solum in allato fragmento, verum etiam in aliis locis de executione potestatis loquitur¹. Executio igitur, de qua hic, sola actio non est, et iam ex eo, quod executio potestatis esse dicitur, peculiarem notam qualificantem nanciscitur.

Quaestio igitur, utrum nomine executionis tantum potestatis in actum deductio, quae ipsa potestas non est, an potius potestas quaedam a Magistro denotata sit, examinanda restat. Qua in quaestione perscrutanda primum generatim de verbis cum *executionis* nomine vel verbo *exsequi* promiscue adhibitibus, idcirco et similem ac executio significationem habentibus, tum etiam singillatim de *executore* nomine *administratoris* vocato, de *executione* nomine *administrationis* appellata, de verbis quoque ut potestatem sacra-

¹ Dicta Gratiani p. cc. 19, 25, 36, 40 C. XVI q. 1, et § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [50]. pag. [58]. nota 33, pag. [54]. nota 16, pag. [45].

mentalem, sic potestatem non sacramentalem denotantibus, atque de *exsecutione* nomine *potestatis* nuncupata ex ordine agemus.

I. De aliquorum verborum cum nomine *exsecutionis* vel verbo *exsequi* promiscua adhibitione

Gratianus nomine *exsecutionis* et verbo *exsequi* cum aliis verbis, ut *agere, celebrare, damnare, dare, deicere, fungi, ligare, et solvere*, promiscue utitur.

In dūctio enim p.c. 39 C. XVI q. 1. posito Gratianus opinionem Hieronymi refert sine consilio presbyterorum monachis nihil *agere* licere asserentis². In dicto autem p.c. 40 C. XVI q. 1 allato Magister praefatam assertionem Hieronymi tantum ad eos monachos referendam esse explicat, qui instituti non sunt, ergo *exsecutionem* potestatis sacramentalis non habent, et non solum monachis, verum etiam omnibus clericis absque episcoporum licentia potestatis *exsecutionem* interdictam esse affirmat³.

In dicto introductorio q.1 C. XVI Gratianus monachis officia populis *celebrare* non posse multis auctoritatibus probari posse asserit⁴. In dictis autem p.c. 25 et p.c. 36 C. XVI q.1 allatis Magister sacerdotes monachos ab episcopo cum consensu abbatis institutos potestatem suam *exsequi* valere affirmat⁵.

² Dictum Gratiani p. c. 39 C. XVI q. 1: " § 1. Item illud Ieronimi ad Riparium et Desiderium: 'Monachus non doctoris, sed plangentis offitium habet', et ad Eliodorum: 'Alia causa est monachi, alia clerici', et ad Rusticum: 'Sine consilio presbiterorum monachis nichil agere licet', non ita generaliter intelligendum est, ut nulli monachorum liceat docendi offitium assumere, ne B. Gregorium, aut Augustinum Anglorum episcopum, beatum quoque Martinum, innumeros etiam, quos de monachica conuersione ad summum sacerdotii gradum scriptura testatur esse promotos, cogamur negare *offitium docendi* habuisse, aut in die consecrationis suae asseramus eos a proposito priori discessisse, quod (ut Innocentius testatur) nulli facere licet. Voluit ergo Ieronimus distinguere inter personam *monachi* et *clerici*, ostendens quid cuique *ex proprio offitio* conueniat. § 2. Aliud enim conuenit cuique ex eo, quod monachus est: aliud ex eo, quod clericus est. Ex eo, quod monachus est, sua et aliorum peccata deflendi *habet offitium*: ex eo, quod *clericus, docendi et pascendi populum*. § 3. Monachos autem usque ad tempus Eusebii, Zosimi et Siricii, monachos simpliciter, et non clericos fuisse, ecclesiastica testatur ystoria. Idem etiam Ieronimus refert, monachos Scythiae conuenisse in unum, ut sacerdotem sibi inuenirent *qui eis missarum solemnia celebraret*." — Cf dictum Gratiani p. c. 19 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [50].

³ Vide supra, pag. [54] nota 16.

⁴ Dictum introductorium q. 1 C. XVI: „Quod monachi officia populis celebrare non possint, multis auctoritatibus probatur, quarum prima est illa sanctae Nicenae Synodi..." — Cf. dictum introductorium q. 3 C. XI; vide supra, pag. [61] nota 46. — Cf. § 3 dicti Gratiani p. c. 39 C. XVI q. 1; vide supra, nota 2.

⁵ Dictum Gratiani p. c. 25 et p. c. 36 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [58] nota 33.

In dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 posito Magister haereticum *deicere* aliquem vel *damnare* non posse scribit, et quidem hanc ob rationem, quia recedentes a fide, licet potestatem retineant, *exsecutionem tamen amittunt* ⁶.

In dictis p. c. 19 et p. c. 25 C. XVI q. 1 allatis Gratianus monachis poenitentiam *dare* ideo prohibitum esse explicat, quia nulli sacerdoti parochianum alterius *ligare* vel *solvere* licet, et monachos in ordinis collatione potestatem accipere, *exsecutionem* tamen huius potestatis, nisi cum consensu abbatis ab episcopo instituti sint, non habere asserit ⁷.

In dicto introductorio q. 5 C. I Gratianus quaerit, an ei ordinatione *fungi* liceat, qui ecclesiam paterna pecunia assecutus est ⁸, in dicto vero introductorio C. XV quaerit, an ei, qui peccati ante ordinationem commissi convictus est, officium suscepti ordinis *exsequi* liceat ⁹.

Ut ex his patet, verba *agere, celebrare, damnare, dare, deicere, fungi, ligare, et solvere*, cum verbo *exsequi* et cum nomine *exsecutionis* promiscue a Gratiano adhibita nota potestatis cuiusdam vel datae vel denegatae et verbis assignatae *licere, non licere, non posse, non valere, prohibere*, praedita sunt.

En eiusmodi rei exempla: *nihil agere licet* ¹⁰, *nihil liceat agere* ¹¹, *officia populis celebrare non possint* ¹², *officium contra prohibitionem episcopi celebrare ausus est* ¹³, *nec deicere aliquem valet*

⁶ Dictum Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [43—46].

⁷ Dictum Gratiani p. c. 19 C. XVI q. 1: „... Quod uero *penitentiam dare prohibentur*, inde est, quod *nulli sacerdotum licet parochianum alterius ligare uel soluere*. Monachi autem, et si in *dedicatione* sui presbiteratus (sicut et ceteri sacerdotes) predicandi, baptizandi, penitentiam dandi, peccata remittendi, beneficiis ecclesiasticis perfruendi rite *potestatem* accipiant, ut amplius et perfectius agant ea, que *sacerdotalis officii* esse sanctorum Patrum constitutionibus comprobatur: tamen *executionem suae potestatis non habent, nisi a populo fuerint electi, et ab episcopo cum consensu abbatis ordinati*”. — Cf. dictum Gratiani p. c. 25 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [58] nota 33.

⁸ Dictum introductorium q. 5 C. I: „Quod uero quinto loco queritur, *an liceat ei esse in ecclesia, uel fungi ordinatione*, quam paterna pecunia est assecutus, auctoritate diffinitur Urbani, qui scribens de symoniacis ait inter cetera (in Concilio Placentino, c. 5 et sequentibus, itemque in Concilio Romano)...” — Cf. dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7; vide supra, pag. [59] nota 36.

⁹ Dictum introductorium C. XV; vide supra, pag. [63].

¹⁰ Vide § 1 dicti Gratiani p. c. 39 C. XVI q. 1 supra, pag. [66] nota 2 relatum.

¹¹ Dictum Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [54] nota 16.

¹² Dictum introductorium q. 1 C. XVI; vide supra, pag. [66] nota 4.

¹³ Dictum introductorium q. 3 C. XI; vide supra, pag. [61] nota 46.

*nec damnare*¹⁴, *poenitentiam dare prohibenutr*¹⁵, *quaeritur, an liceat ei esse in ecclesia, vel fungi ordinatione, quam paterna pecunia est assecutus*¹⁶, *officio tamen accepto fungi non poterit*¹⁷, *nulli sacerdotum licet parochianum alterius ligare vel solvere*¹⁸.

Aliquando tamen verba cum nomine exsecutionis promiscue usurpata et supra indicata cum nota qualificanti tantum oblique potestatem quandam denotanti a Gratiano adhibentur, ut ex hoc textu patet: „Ieronimus refert, monachos Scithiae conuenisse in unum, ut sacerdotem sibi inuenirent, qui eis *missarum solempnia celebraret*.”¹⁹ Ex hoc tamen textu de verbo celebrare nullam potestatem denotanti concludi non potest. Celebratio enim missae celebratio officii sacerdotalis est similiter ac administratio poenitentiae, baptismi, et ceterorum officiorum sacerdotalium²⁰. Omnis igitur actio sacerdotalis non solum ex verbis aperte eam qualificantibus et potestatem denotantibus, verum etiam oblique, ut in exemplo supra allato, videlicet ex ipso officio potestatis cuiusdam nota praedito characterem potestatis nanciscitur.

Ut verba *agere, celebrare, damnare, dare, deicere, fungi, ligare, et solvere*, ita expressiones *exsequi* vel *exsecutio* cum praefatis verbis promiscue a Gratiano adhibitae nota qualificanti potestatem quandam significanti, ut *interdicere, licere, valere*, et simili, praeditae sunt.

En eiusmodi rei exempla: *exsecutio interdicitur*²¹, *potestatem suam exsequi valeant*²², *legitime potestatem suam exsequi valent*²³, *an suscepti ordinis officium sibi exsequi liceat*²⁴.

Saepe tamen verbum *exsecutio* nota potestatis tantum implicite praeditum esse reperitur, dum e. g. monachis dicitur: „*exsecutionem suae potestatis non habent, nisi a populo electi fuerint*,

¹⁴ In principio dicti Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [43].

¹⁵ Dictum Gratiani p. c. 19 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [67] nota 7.

¹⁶ Dictum introductorium q. 5 C. I; vide supra, pag. [67] nota 8.

¹⁷ Dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7; vide supra, pag. [59] nota 36.

¹⁸ Dictum Gratiani p. c. 19 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [67] nota 7.

¹⁹ Dictum Gratiani p. c. 39 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [66] nota 2.

²⁰ Dicta Gratiani p. c. 19 et p. c. 25 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [67] nota 7, et pag. [58] nota 33.

²¹ In § 3 dicti Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [54] nota 16.

²² Dictum Gratiani p. c. 25 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [58] nota 33.

²³ Dictum Gratiani p. c. 36 C. XVI q. 1; ibidem.

²⁴ Dictum introductorium C. XV; vide supra, pag. [63].

et ab episcopo cum consensu abbatis *ordinati*”²⁵ vel dum legimus: „Sicut ergo in benedictione utriusque (scil. sacerdotes saeculares et sacerdotes monachi; KN) communem nanciscuntur potestatem, ita in *institutione* communiter *assecuntur potestatis executionem*,”²⁶ similiter dum legimus: „Plerumque *offitii potestas* uel accipitur, ueluti a monachis in sacerdotali unctione, uel accepta *sine sui executione* retinetur, ueluti a suspensis, quibus *amministratio interdicitur*, potestas non aufertur.”²⁷ Ut ex hoc ultimo textu patet, nomina *exsecutionis* et *administrationis* promiscue a Gratiano adhibentur. Praeterea, ut supra animadversum est, Magister exsecutionis nomine potestatem sacerdotalem non sacramentalem et amissibilem denotavit.

His igitur omnibus obiectum ulterioris investigationis peragen-
dae determinatur, quae quaestionum de *exsecutione nominibus ad-*
ministrationis et *potestatis* vocata atque de notis potestatem
significantibus et executionem variis nominibus appellatam quae
alificantiibus examinatio est.

II. De exsecutore nomine administratoris vocato

In dicto p. c. 30 C. XI q. 1 posito legimus: „Sicut enim eccle-
siasticarum legum ecclesiasticus *iudex* est *administrator*, ita et
civilium non nisi civilis debet esse executor. Sicut enim ille solus
habet *ius* interpretandi canones, qui habet *potestatem* condendi
eos, ita ille solus legum civilium debet esse interpret, qui eis *ius*
et *auctoritatem* impertit.”

Ut patet, Gratianus inter iudicem ecclesiasticum et saecularem
distinguit. Non tamen de quolibet, sed de iudice summa potestate
leges ecclesiasticas aut leges saeculares condendi praedito in utro-
que casu agitur. Secundum Magistrum ut ad iudicem ecclesiasticum
administratio legum ecclesiasticarum, sic ad iudicem saecularem
legum civilium *exsecutio* pertinet. Exsecutio igitur in casu eadem
esse ac administratio facile perscriptur, nam Gratianus utroque hoc
nomine promiscue utitur.

Ut autem administratio legum ecclesiasticarum, sic et exsecu-
tio legum saecularium *potestas* esse intelligitur, nam prima in iure
canones interpretandi eius proprio consistere dicitur, qui potesta-
tem eosdem canones condendi habet, secunda autem ei soli re-
servata esse asseritur, qui iisdem legibus auctoritatem impertit.

²⁵ Dictum Gratianum p. c. 19 C. XV q. 1; vide supra, pag. [67]
nota 7.

²⁶ In § 2 dicti Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag.
[54] nota 16.

²⁷ In § 1 dicti Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag.
[45].

Ut igitur *administratio*, sic et *executio*, *ius*, *potestas*, vel *auctoritas* esse intelligitur.

De simili nominis executionis significatione etiam ex dicto p.c. 25 C. XXIII q. 5 posito cognoscitur, ubi legimus: „Preterea, sicut *principibus* et *potestatibus* fidem et reuerentiam exhibere cogimur, ita secularium dignitatum *amministratoribus* defendendarum ecclesiarum necessitas incumbit.”

Ut patet, nomina *principes* et *potestates* cum nomine saecularium dignitatum *administratores* promiscue a Gratiano adhibita sunt. Cum autem nominum promiscue adhibitorum significatio similis esse debeat, sequitur, ut nomine administratoris in casu potestas quaedam denotata sit.

Quia deinde in memorato dicto p.c. 30 C. XI q. 1 posito *administratoris* et *executoris* nomen promiscue adhibetur, sequitur, ut eodem potestatis cuiusdam caractere utrumque nomen praeditum sit.

Quia denique nomen *administratoris* verbo *administrare*, nomen vero *executoris* verbo *exsequi* et nomini *executio* simile est, iam ex hoc ipso in verbis: *executio* et *exsequi* notam potestatis cuiusdam insitam esse concludendum est.

III. De executione nomine administrationis vocata

De promiscuo usu nominum *executio* et *administratio* ex § 1 dicti p.c. 37 C. XXIV q. 1 allati cognoscimus: „Sed aliud est potestas officii, aliud *executio*. Plerumque officii potestas uel accipitur, ueluti a monachis in sacerdotali unctione, uel accepta *sine sui executione* retinetur, ueluti a suspensis, quibus *amministratio interdicitur*, potestas non aufertur.”

Ex promiscuo usu nominum executionis et administrationis de eorum simili significatione potestatem denotanti concludendum est. Verbo vero *interdicitur*, et similibus, etiam ipse nominum executionis et administrationis character notam potestatis cuiusdam amissibilis prae se ferens indicatur.

Quia autem Gratianus sacramentalem ordinis potestatem in amissibilem esse tenet, atque eam amitti posse nusquam affirmat, omnes Magistri assertiones de potestate aliquando habenda, aliquando autem amittenda, quae verbo *interdicitur*, et similibus, qualificatae sunt, non nisi de potestate non sacramentali, nam ea tantum amissibili, pronuntiatas esse concludendum est.

In hoc igitur sensu expressiones Gratiani de *clerico ab episcopo suo ab officio suspenso*, et *nihilominus tamen sententia episcopi contempta officium suum administranti*,²⁸ de *sacerdotibus ab ad-*

²⁸ Dictum introductorium C. XI; vide supra, pag. [61] nota 46.

ministracione sacramenti ordinis remotis,²⁹ de sacerdotibus ex haeresi ad Ecclesiam redeuntibus, qui ab administracione unctio- nis perpetuo cessare iuberi dicuntur,³⁰ intelligendae sunt.

Quia deinceps expressiones in dicto p. c. 4 C. I q. 7 annexo relatae: *officio fungi non posse*, et ab administracione ecclesiastica prohiberi, promiscue a Gratiano adhibentur³¹, ergo et potestatem denotant, idcirco enuntiationes Magistri his similes, nimirum quaestio, *an ordinatone ei fungi liceat*, qui ecclesiam paterna pecunia assecutus est,³² et assertiones: *haereticus ad Ecclesiam rediens officio accepto fungi non potest*,³³ *monachi officia populis celebrare non possunt*,³⁴ et de officii celebratione prohibita,³⁵ de potestate edictae intelligendae sunt.

Ex eo autem, quod praefatis verbis qualificantibus potestas denotata est, quae sacerdotibus potestate sacramentali eaque inamissibili praeditis permissa aut adempta esse asseritur, sequitur, ut nomina *administracionis* vel *exsecutionis ita* qualificata potestatem non sacramentalem eamque amissibilem denotent.

In hoc igitur sensu enuntiationes Magistri de *exsecutione potestatis sacramentalis absque licentia episcoporum monachis et ceteris clericis interdicta*³⁶, de *exsecutione suscepti muneris*³⁷, et de *sacerdotibus monachis, qui instituti sunt, potestatem suam exsequi valentibus*³⁸, intelligendae sunt.

²⁹ Dictum Gratiani p. c. 43 C. I q. 1; vide supra, pag. [53] nota 16.

³⁰ In § 3 dicti Gratiani p. c. 23 C. I q. 7; vide supra, pag. [49] nota 6.

³¹ Dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7; vide supra, pag. [59] nota 36.

³² Dictum introductorium q. 5 C. I; vide supra, pag. [67] nota 8.

³³ Dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7; vide supra, pag. [59] nota 36.

³⁴ Dictum introductorium q. 1 C. XVI vide supra, pag. [66] nota 4.

³⁵ Dictum introductorium q. 3 C. XI; vide supra, pag. [61] nota 46.

³⁶ In § 3 dicti Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [54] nota 16.

³⁷ Dictum Gratiani p. c. 12 C. XV q. 1: „§ 1. Item obicitur: Sunt quaedam, quae, etsi non inputentur ad penam, tamen impediunt sacramenti signaculum. Ambicio namque parentum filio non inputatur ad penam, cui tamen obest ad *ecclesiae munus* accipiendum. Sic quae mente alienata fiunt, etsi non inputentur ad penam, tamen *sacri muneris executionem impediunt*.” — Principium dicti Gratiani p. c. 13 C. XV q. 1: „... sacerdos, qui furore homicidium fecit, quantum ad culpam, innocens est, quantum ad *suscepti muneris executionem*, reus probatur.”

³⁸ Dicta Gratiani p. c. 25 et p. c. 36 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [58] nota 33.

Gratianus tamen, qui nominibus *administrationis, executionis*, et verbo *exsequi* potestatem sacerdotalem non sacramentalem saepe significat, aliquando sacramentalem quoque potestatem verbo *administrare*, immo et verbis, *agere, et dare denotat*, de quo nunc sermo erit.

IV. De sacramentali potestate ordinis verbis administrare, dare, et agere denotata

De verbo *exsequi* potestatem denotanti non solum ex eo, quod verbum hoc cum verbo *administrare* potestatem quandam significanti promiscue a Gratiano adhibetur, verum etiam ex eo, quod sacramentalis potestas ordinis nomine proprio *potestatis* a Magistro appellata nonnumquam verbo administrare, quod cum verbo *exsequi* promiscue adhibetur, denotata est, concludi potest.

Et sic Gratianus inter administrationem ordinis sacramentalem eamque inamissibilem, et huius potestatis executionem distinguit in dicto p. c. 25 C. XVI q. 1 allato ita scribens: „His auctoritatibus perspicue monstratur, monachos *posse* penitentiam dare, baptizare, et cetera sacerdotalia officia licite *administrare*. Quod uero populi electione, episcoporum *institutione*, et abbatis consensu potestatem suam *exequi valeant*, Ieronimi Gelasii et Gregorii auctoritate probatur.”

Ut ex enuntiatione hac patet, verbo administrare potestas denotata est, nam Gratianus verbum *administrare* verbo *posse* qualificat. Administratio autem, de qua hic, potestas poenitentiam dandi, baptizandi, et cetera officia sacerdotalia ministrandi sacramentalis atque inamissibilis est, nam ab executione distinguitur, quae verbo *exsequi* denotatur, characterem potestatis ex verbo *valere* nanciscitur, atque amissibilis ex eo apparet, quod per institutionem acquiri asseratur. Ut igitur verbum administrare, sic verbum *exsequi*, utrumque verbis *posse* et *valere* qualificatum, potestatem significant.

In dicto igitur p. c. 25 C. XVI q. 1 posito et supra allato similis potestatis distinctio datur, ac in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adiuncti, ubi legimus: „intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis.”

In primo enim utriusque similis distinctionis elemento de sacramentali ordinis potestate, nomine potestatis distribuendi sacros ordines, et verbis „*posse penitentiam dare, baptizare, et cetera sacerdotalia officia licite administrare*”, in secundo vero eiusdem distinctionis elemento de potestate non sacramentali eaque amissibili verbis *exsequi valeant*, et executio annotata sermo est.

Ut igitur ex dicto p. c. 25 C. XVI q. 1 adiuncto et supra allato patet, utraque potestas, i. e. sive sacramentalis, sive non sacramentalis, similibus verbis *posse* et *valere* qualificatur, et ratione horum verborum potestatem denotantium non distinguitur. Alius autem potestatis sacramentalis, alius vero potestatis non sacramentalis character ex diverso instituto utriusque potestatis acquirendae apparet. Sacramentalis namque potestas in ordinis collatione, potestas vero non sacramentalis per institutionem acquiritur.

Eo autem ipso, quod alia potestas per institutionem acquiri asseritur, non solum eam potestatem non sacramentalem atque amissibilem, verum etiam et potestatem ab ea distinctam in ordinis collatione tradendam sacramentalem eamque inamissibilem esse constat.

Non tam igitur ex ipsis verbis, ut *administrare*, *dare*, vel *exsequi*, quam potius ex notis verba haec qualificantibus, ut *posse*, *valere*, *sacerdotalia officia*, et similibus, de potestate in casu significata, de indole vero huius potestatis sive ex ipso instituto, quo potestas haec acquiritur, quovis modo annotato, nec enim utriusque huius instituti, scilicet ordinis collationis et institutionis, mentionem ex professo fieri semper necesse est, sive ex nota sacramentali vel inamissibilitatis aut amissibilitatis quovis modo assignata, diiudicandum est. Et hanc ob rationem Gratianus auctoritatibus Decreti fultus non solum verbo *administrare*, verum etiam verbis: *dare*, *agere*, vel similibus, sacramentalem ordinis potestatem denotare poterat.

Etenim in dicto p. c. 19 C. XVI q. 1 allato legimus: „Monachi autem, et si in *dedicatione sui presbyteratus* (sicut et ceteri sacerdotes) predicandi, baptizandi, penitentiam dandi, peccata remittendi, beneficiis ecclesiasticis perfruendi rite *potestatem accipiant*, ut amplius et perfectius agant ea, que sacerdotalis officii esse sanctorum Patrum constitutionibus comprobatur: tamen *executionem suae potestatis non habent, nisi a populo fuerint electi*, et ab episcopo cum consensu abbatis *ordinati*..”

Verbo namque *agere* non quaevis actio, sed tantum ea, quae in officio sacerdotali exsequendo consistit, et quae potestate officiorum sacerdotalium exsequendorum praedita est, denotatur, de actione ergo nominibus *potestatis*, et *officii* qualificata hic agitur.

Haec autem potestas sacramentalis est, nam in *dedicatione presbyteratus*, i. e. ordinis collatione, accipi dicitur, secus ergo ac *executio*, quae per institutionem acquiri asseritur. Licet enim de executione his tantum monachis competenti, qui ab episcopo ordinati sunt, Gratianus disserat, nihilominus tamen quia de populi electione et abbatis consensu sermo est, et quia Magister executionem populi electione, episcoporum institutione, et

abbatis consensu acquirendam esse alibi asserit³⁹, procul dubio de executione per institutionem acquirenda, nonnumquam verbo ordinationis generali modo sumptae, i. e. et institutionem et ordinis collationem comprehendenti, vocata hic agitur.

Ex eo igitur, quod verbo *agere* nominibus *potestatis* et *officii* sacerdotalis qualificato atque verbo *dare* verbo *posse* qualificato potestas a Gratiano denotata est, assertionem de nomine *executionis* vel verbo *exsequi*, quia vulgari usu quamvis actionem significantibus, potestatem non denotantibus omni fundamento destitutam esse concludendum est. Significatio namque nominis *executionis* et verbi *exsequi* simili modo ac verborum *agere* et *dare* potius ex notis verba haec qualificantibus, quam ex naturali eorum sensu diiudicanda est.

Cum autem *executionis* nomen et verbum *exsequi* verbis: in *institutione assequi*⁴⁰, *interdicere*⁴¹, *licere*⁴², *licentia*⁴³, *munus*⁴⁴, *non habere*⁴⁵, *non retinere*⁴⁶, *officium*⁴⁷, *valere*⁴⁸, et similibus, saepe qualificata, verba technica effecta sunt, etiam in casu, in quo sine praefatis notis qualificantibus adhibentur, potestatem denotare posse intelligenda sunt, nisi aliud certo constet.

Ex sacramentali ordinis potestate verbo *administrare* annotata et ex promiscuo nominum *administrationis* et *executionis* usu Gratianum nomine *executionis* potestatem denotasse concludimus. Sed ex aliis enuntiationibus Magistri *executionem* etiam *potestatis* nomine appellatam esse demonstrari potest, qua de re nunc sermo erit.

V. De executione nomine potestatis vocata

A. In dicto Gratiani p. c. 97 C. I q. 1 relato

Gratianus Augustino ut baptismum, sic ius baptizandi vel ordines conferendi ex consecratione proveniens in c. 97 C. I. q. 1 ami-

³⁹ Dictum Gratiani p. c. 25 C. XVI q. 1; ibidem.

⁴⁰ In § 2 dicti Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [54] nota 16.

⁴¹ In § 3 dicti Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; ibidem.

⁴² Dictum introductorium C. XV; vide supra, pag. [63].

⁴³ In § 3 dicti Gratiani p. c. 40 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [54] nota 16.

⁴⁴ Principium dicti Gratiani p. c. 13 C. XV q. 1; vide supra, pag. [71] nota 37.

⁴⁵ Dictum Gratiani p. c. 19 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [67] nota 7.

⁴⁶ In § 1 dicti Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [45—46].

⁴⁷ Dictum introductorium C. XV; vide supra, pag. [63].

⁴⁸ Dicta Gratiani p. c. 25 et p. c. 36 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [58] nota 33.

tti non posse asserenti⁴⁹ in § 2 dicti post hanc auctoritatem positi ita repugnat: „Suspenso enim uel deposito sacerdote, *nulla ei relinquitur potestas sacrificandi...* Degradatus enim episcopus *potestatem largiendi sacros ordines non habet...*”

Has Gratiani assertiones in oppositione contra Augustinum alatas, quia exempli gratia introductas, eo Magistri proprias esse, quod persuasionem eius atque opinionem de potestate non sacramentali sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amittenda hisce temporibus communiter vigentem manifestent, supra animadvertimus.

Quia deinde Gratianus sacramentum ordinis a sacerdotibus quovis modo indignis, etiam ab haereticis, in forma Ecclesiae ministratum ratione sui validum esse, ergo et sacramentalem ordinis potestatem eiusmodi sacerdotibus adimi non posse saepe asserit, Magistrum in praefata oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relata de potestate sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amittenda asserentem nonnisi potestatem non sacramentalem in mente habuisse concludendum est.

Deinde regula iam supra exposita, secundum quam in conciliatione duarum sententiarum oppositarum recte peragenda utrumque oppositum elementum comprehendendum est, potestatis sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amittendae, cuius in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi mentio fit, peculiari ratione habita, etiamnunc in argumentatione Gratiani in cuncto praefato dicto peracta attendatur necesse est.

Et sic Magister controversiam in praefatis duabus sententiis oppositis consistentem: potestas consecratione danda non amittitur, et: potestas ex consecratione proveniens amittitur, solvens in § 3 eiusdem dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi inter duo elementa distinguit, quorum alterum potestatem sacros ordines distribuendi vel officium vel potestatem sacramento tenus acceptam, alterum vero executionem potestatis sacros ordines distribuendi vel executionem officii vel effectum potestatis sacramento tenus acceptae vocat. Primum elementum inamissibile et sacramentale, secundum vero, quia amissibile, non sacramentale est.

Cum autem utrumque elementum oppositum solutione quaestionis comprehendendi necesse sit, sequitur, ut elemento inamissibili et sacramentali ab Augustino de sacramentali ordinis potestate disserenti *ius dandi* ordines vocato, elementum sacramentale et inamissibile nominibus *potestatis sacros ordines distribuendi* vel *officii* vel *potestatis sacramento tenus acceptae* a Gratiano in solutione quaestionis vocatum, elemento autem amissi-

⁴⁹ C. I q. 1 c. 97, principium, § 3; vide supra, pag. [9—10].

bili, ergo non sacramentali, in oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi nomine *potestatis sacrificandi* et *sacros ordines largiendi* a Gratiano vocato, elementum amissibile, ergo non sacramentale, nomine *exsecutionis* vel *effectus potestatis sacramento tenus acceptae* in solutione quaestionis in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 allati a Magistro nuncupatum respondeat.

Quae cum ita sint, sacramentalis ordinis potestas ab Augustino *ius dandi ordines* vocata, et *potestas sacros ordines distribuendi* vel *officium* vel *potestas sacramento tenus accepta*, de quibus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 annexi sermo est, unum idemque elementum constituunt.

Similiter *potestas sacrificandi* et *sacros ordines largiendi* sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amittenda, de qua in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adiuncti sermo est, et *exsecutio potestatis sacros ordines distribuendi* vel *exsecutio officii* vel *effectus potestatis sacramento tenus acceptae*, de quibus Magister in solutione quaestionis in § 3 eiusdem dicti disserit, unum idemque elementum constituunt.

Nominibus igitur: *potestas sacros ordines distribuendi*, *officium*, et *potestas sacramento tenus accepta*, potestatem ordinis sacramentalem eamque inamissibilem, nominibus vero: *exsecutio potestatis sacros ordines distribuendi*, *exsecutio officii*, et *effectus potestatis sacramento tenus acceptae*, in dicto p. c. 97 C. I q. 1 posito promiscue adhibitis potestatem non sacramentalem eamque amissibilem appellatam esse concludendum est.

Sed etiam in aliis Decreti locis exsecutionem ut potestatem intellectam vel nomine potestatis vocatam esse probari potest.

B. In Quaestione I Causae XXIV

Gratianus thesım suam, secundum quam *ab heretico aliquis deponi aut excommunicari non possit*, in dicto introductorio q. 1 C. XXIV ponit⁵⁰, et deinceps de potestate damnandi vel excommunicandi haereticis amissa disserens has asserationes adhibet:

Dictum p. c. 3 C. XXIV q. 1: „Si ergo ille episcopus in heresim iam dampnatam lapsus est, antiqua excommunicatione dampnatus alios *dampnare non poterat*. Excommunicatus enim alios *excommunicare non ualet*.”

Dictum p. c. 4 C. XXIV q. 1: „Si autem ex corde suo nouam heresim confinxit, ex quo talia predicare cepit, *neminem dampnare*

⁵⁰ Dictum introductorium q. 1 C. XXIV: „Quod autem ab heretico aliquis *deponi aut excommunicari non possit*, facile probatur. Omnis enim hereticus aut iam dampnatam heresim sequitur, aut nouam confingit. Qui uero heresim iam dampnatam sequitur, eius dampnationis se participem facit.”

potuit, quia *non potest deicere quemquam* iam prostratus. Ligandi namque uel soluendi *potestas* ueris, non falsis sacerdotibus a Domino tradita est. Apostolis enim dicturus (Io 20, 23): 'Quorum remiseritis peccata, etc., premisit (Io 20, 22): 'Accipite Spiritum sanctum', ut euidenter cunctis ostenderet, eum, qui Spiritum sanctum non habet, *peccata non posse tenere uel remittere*. Porro Spiritum sanctum nemo nisi intra ecclesiam accipit, quia et ipsam unitatem facit per gratiam. § 1... Sicut autem extra ecclesiam non accipitur, ita extra eam nichil operatur. Cum ergo, sicut Apostolus ait (Rom 8, 26), Spiritus postulet, Spiritus impetret, extra ecclesiam nec postulare facit, nec impetrare... In quibus autem Christus non habitat, in eis Spiritus sanctus mentium scissuras refugiens locum non habet. Cum ergo *dimittere peccata* uel tenere, excommunicare uel reconciliare *opus sit Spiritus sancti et uirtus Christi*: apparet quod hii, qui extra ecclesiam sunt, *nec ligare, nec soluere possunt, nec reconciliando ecclesiasticae communioni reddere, nec excommunicando eius societate priuare*, qua ipsi, heresi uel scismate polluti siue sententia notati, penitus carere probantur. Unde, cum Dominus omnibus discipulis parem *ligandi atque soluendi potestatem* daret, *Petro pro omnibus et pre omnibus clauis regni celorum* se daturum promisit, dicens (Mt 16, 19): 'Tibi dabo clauis regni celorum'. Quicumque ergo ab unitate ecclesiae (que per Petrum intelligitur) fuerit alienus, *execrare non potest, consecrare non ualet; excommunicationis uel reconciliationis potestatem non habet*. Unde Apostolus cum fornicatorem Corinthium excommunicandum scriberet, ait (Cor 5, 3): „Ego quidem absens corpore, presens autem spiritu, iam *iudicau* ut presens eum, qui sic operatus est, in nomine... Christi, congregatis uobis, et meo spiritu, cum uirtute... Christi, tradere huiusmodi sathanae in interitum carnis.” In quo formam excommunicationis ostendens, docuit, non nisi fidelem a fidei notandum. In nomine namque *Domini* atque eius *uirtute cooperante non nisi fidelis aliquid operari ualet*... Hinc etiam Apostolus, cum de excommunicandis egeret, premisit (I Cor 5, 11): 'Si quis frater'; de infidelibus autem supposuit dicens (ib. 5, 13): 'Eos, qui foris sunt, *Dominus iudicabit*'. De his autem qui intus sunt, *nobis iudicium commisit*. Sicut autem ex eo, quod Apostolus ait: 'Frater', et ex his, que de fidelibus et infidelibus supposuit, apparet, non nisi fidelem excommunicandum, ita ex eo, quod fidelibus tantum hoc scribitur, uel potius, quia sicut ille, *qui benedicit, maior est eo, cui benedicitur*, ita qui ex officio maledicit maior est eo, cui maledicitur, liquido constat, eum, qui ab integritate catholicae fidei recedit, *maledicendi, uel benedicendi potestatem minime habere*. Catholicum namque, utpote *superiorem se, maledicere non ualet*; in alienum a fide, tamquam *in sibi equalem, sententiam dare non potest*. Hec autem, que de hereticis, atque scismaticis, uel excommunicatis dicta sunt, uidelicet,

quod *ligandi uel soluendi potestatem non habeant*, multorum auctoritatibus probantur.”

Dictum p. c. 37 C. XXIV q. 1: „His auctoritatibus perspicue monstratur, quod, ex quo aliquis contra fidem ceperit aliqua docere, *nec deicere aliquem ualet nec dampnare*. § 1. Obicitur tamen illud Augustini (C. I q. 1 c. 97): „Recedentes a fide nec baptisma, nec baptizandi potestatem amittunt. ‘Cum ergo sacerdotalem unctionem utraque potestas, baptizandi uidelicet et excommunicandi, sequatur, a fide recedentes aut utramque retinebunt, aut utraque carebunt. Sed aliud est potestas officii, aliud executio. Plerumque *officii potestas* uel accipitur, ueluti a monachis in sacerdotali unctione, uel accepta *sine sui executione retinetur*, ueluti a *suspensis*, quibus *amministratio interdicitur, potestas non auferitur*. A fide itaque recedentibus potestas non adimitur, sicut reudentibus non redditur, ne non homini, sed sacramento iniuria uideatur fieri. Unde ab hereticis baptizati uel ordinati, cum ad unitatem fidei catholicae redierint, si forte intuitu ecclesiasticae pacis in suis recipiantur ordinibus, *non iterabitur sacramentum*, quod in forma ecclesiae probabitur ministratum, sed per inpositionem manus *prestabitur uirtus sacramenti*, que extra ecclesiam nulli docetur esse collata. Cum ergo utraque potestas in hereticis remaneat, si hereticus catholicum uel alium hereticum excommunicauerit, ut in communionem suae heresis illum deducat, quia iniqua est *sententia, pondere caret...* Potest autem dici, catholicum *sententia heretici minime teneri*. *Non enim potest oris gladio ferire* quem accusare uel in quem testificari non ualet. Si enim quos diuina testimonia non secuntur, quia extra ecclesiam sunt, pondus humani testimonii perdiderunt aduersus eos, qui in ecclesia esse uidentur, *nec aduersus eosdem ecclesiasticae auctoritatis pondus habere poterunt*, qui ab eius fide discessisse probati sunt, atque ideo ab ecclesia sunt condemnati. In hereticum autem *potestatem habere uideatur hereticus*, sicut et diabolus *potest* in malis, tamquam in suo pecore.”

Expressiones igitur ad potestatem excommunicandi haereticis non habitam denotandam promiscue a Gratiano adhibitae praecipue hae sunt: *non posse, non valere, et potestatem non habere*. Ex promiscuo autem harum expressionum usu in omnibus praefatis casibus de potestate excommunicandi schismaticis, haereticis, et excommunicatis adempta agi concludendum est.

Cum autem, ut demonstratum est, *exsecutionis* nomen vel uerbum *exsequi* uerba *non retinere* (ergo non habere), *valere*, et similia suquantur etiam expressionibus: *exsecutionem suae potestatis non habent*⁵¹, *officii potestas sine sui executione retinetur, ve-*

⁵¹ Dictum Gratiani p. c. 19 C. XVI q. 1; uide supra pag. [67] nota 7.

*luti a suspensis, quibus administratio interdicitur*⁵², *potestatem suam exsequi valent*⁵³, nomine executionis et verbo exsequi potestatem in his vel similibus casibus a Gratiano denotatam esse concludendum est.

Sed talis nominis executionis significatio ex dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 relato et sive in se ipso tantum sive simul cum dicto p. c. 97 C. I q. 1 posito considerato adhuc latius patet.

Augustinus in c. 97 C. I q. 1 ex similitudine sacramentorum baptismi et ordinis concludens recedentes a fide ut baptismum, sic potestatem baptizandi et ordines conferendi amittere non posse asseruit, haereticorum vero excommunicandi potestatis nullam ibidem mentionem fecit. Similiter et Gratianus in dicto post hanc Augustini auctoritatem posito quaestionem de potestate baptizandi, Eucharistiam consecrandi, et ordines conferendi, non vero de potestate excommunicandi exquirat.

In dicto autem p. c. 37 C. XXIV q. 1 relato Magister quaestionem de potestate excommunicandi examinans, eam praefatae assertioni Augustini de potestate baptizandi vel ordines conferendi haereticis non amittenda inseruit, ita scribens: „Cum ergo sacerdotalem unctionem utraque potestas, baptizandi uidelicet et excommunicandi, sequatur, a fide recedentes aut utramque retinebunt, aut utraque carebunt.” Quae tamen insertio iniuste facta in tantum existimanda non est, in quantum ut potestas excommunicandi, sic potestas ordines conferendi sacerdotibus competit.

Status igitur quaestionis in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 relato perscrutandae a Gratiano descriptus hic est: Cum potestas excommunicandi sacerdotalem unctionem sequatur, Augustinus autem in c. 97 C. I q. 1 haereticos potestatem in consecratione insitam non amittere asserat, utrum a fide recedentes potestatem excommunicandi retineant, an amittant, examinandum est.

Quia autem, ut iam supra diximus, in explicatione vel solutione quaestionis recte peragenda de eodem obiecto, de quo in eiusdem quaestionis introductione agitur et quod ibidem examinandum indicatur, sermo sit oportet, ex eo efficitur, ut etiam in explicatione vel solutione quaestionis in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 posito a Gratiano data de potestate aut retinenda vel amittenda, aut alia ratione retinenda, alia vero ratione amittenda sermo sit.

Et revera in cuncto hoc dicto, structura eius attenda, de duobus unius eiusdemque distinctionis elementis agitur. Utrumque autem praefatum elementum, scilicet aliud inamissibile, aliud vero amissibile, in potestate consistere monstratur.

⁵² In § 1 dicti Gratiani p. c. 37 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [45—46].

⁵³ Dicta Gratiani p. c. 25 et p. c. 36 C. XVI q. 1; vide supra, pag. [58] nota 33.

Elementum sacramentale et inamissibile ita in eodem dicto a Gratiano describitur⁵⁴: „Sed aliud est *potestas officii* (aliud executio) ..*offitii potestas... retinetur*, ueluti a *suspensis*, quibus... *non aufertur*. A fide itaque recedentibus *potestas non adimitur*, sicut redeuntibus *non redditur*, ne non homini, sed sacramento iniuria uideatur fieri... Cum ergo utraque *potestas* (videlicet baptizandi et excommunicandi; KN) *in hereticis remaneat...*”

Elementum vero amissibile et non sacramentale ita ibidem a Gratiano annotatur: „His auctoritatibus perspicue monstratur, quod, ex quo aliquis contra fidem ceperit aliqua docere, *nec deicere aliquem ualet nec dampnare*. § 1... *Sed* (aliud est potestas officii), aliud *executio*. (Plerumque officii potestas... accepta) *sine sui executione* (retinetur), ueluti a *suspensis*, quibus *administratio interdicitur*, (*potestas non aufertur*)... Unde ab hereticis... ordinati, cum ad unitatem fidei catholicae redierint, si... in suis recipiantur ordinibus (non iterabitur sacramentum, quod in forma ecclesiae probabitur ministratum), sed per inpositionem manus (reconciliatoriam; KN) *prestabitur uirtus sacramenti, que extra ecclesiam nulli docetur esse collata...* si hereticus catholicum uel alium hereticum excommunicauerit, ut in communionem suae heresis illum deducat, quia iniqua est *sententia, pondere caret*. § 2... Potest autem dici, catholicum *sententia heretici minime teneri*. *Non enim potest* oris gladio ferire quem accusare uel in quem testificari non ualet. Si enim quos diuina testimonia non secuntur, quia extra ecclesiam sunt, pondus humani testimonii perdididerunt aduersus eos, qui in ecclesia esse uidentur, *nec aduersus eosdem ecclesiasticae auctoritatis pondus habere poterunt*, qui ab eius fide discessisse probati sunt, atque ideo ab ecclesia sunt condempnati. In hereticum autem *potestatem* habere uideatur hereticus, sicut et diabolus potest in malis, tamquam *in suo pecore*.”

Ut ex comparatione utriusque elementi in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 relato a Gratiano distincti patet, potestas officii ab *exsecutione* seiuncta suspensis non auferri, recedentibus a fide non adimi, in hereticis remanere asseritur, et quidem hanc ob rationem, ne ipsi sacramento iniuria fiat.

Exsecutio vero a praefata potestate sacramentali expresse distincta cuncto elemento amissibili a Gratiano descripto arctissime connectitur. Eiusdem autem *exsecutionis* nomen cum aliis expressionibus, ut: *non ualet, administratio interdicitur; uirtus sacramenti, quae extra Ecclesiam nulli docetur esse collata; pondere*

⁵⁴ Verba huius dicti ad distinctionis elementum, de quo in casu agitur, non spectantia, sed tantum ad textum intelligendum necessaria, inter uncus referimus.

caret; sententia minime teneri; non potest; nec ecclesiasticae auctoritatis pondus habere poterunt; in haereticum potestatem habere videtur haereticus, sicut et diabolus potest in malis, tamquam in suo pecore, potestatem suspensis et haereticis amissam procul dubio denotantibus, promiscue a Gratiano adhibetur, ergo ex omnibus his expressionibus significationem suam nanciscitur eoque executionis nomine potestatem ecclesiasticam non sacramentalem eamque amissibilem heic a Gratiano appellatam esse concludendum est.

In dicto igitur p. c. 37 C. XXIV q. 1 posito simili modo ac in dicto p. c. 97 C. I q. 1 relato res se habet. In § 1 enim dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 positi Gratianus executionem amissibilem exemplo potestatis suspensis amittendae illustrat, ita scribens: „Plerumque officii potestas... accepta sine sui executione retinetur, *veluti a suspensis, quibus administratio interdicitur.*” De executione enim amittenda exemplo potestatis sacerdotibus suspensis adimendae hic illustrata ex verbo *veluti* patet, quo, ut supra demonstratum est, exempla ad aliquam rem illustrandam adhibita annotantur.

Cum igitur in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi Gratianus Augustinum impugnans ius dandi baptismum, ius Eucharistiam consecrandi, et sacros ordines largiendi plurimum inter se differri asserat, atque deinceps scribat: „*Suspensio enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi...* Degradatus enim episcopus *potestatem largiendi sacros ordines non habet,*” eum exemplo potestatis non sacramentalis sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amissae usum esse in fundamento similitudinis dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 relato concludendum est.

Similitudine enim utrisque huius dicti, atque utriusque praefati fragmenti attendenda verbum *enim*, in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relati adhibitum eandem ac verbum *veluti*, quo Magister in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 adiuncti utitur, exempli indicandi significationem habet. Quia autem in utroque casu de eodem exemplo a Gratiano adhibito agitur, utrumque exemplum simili modo explicari potest.

Cum igitur Gratianus in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relati de *potestate sacrificandi sacerdotibus suspensis adimenda*, in § 1 vero dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 annexi de *executione* non habenda vel de *administratione* eisdem sacerdotibus interdicta disserat, eum sive nomine executionis sive nomine administrationis, utpote cum nomine *potestatis* promiscue adhibitis, potestatem denotare intelligendum est.

Quia autem potestas haec adimi, non haberi seu interdicti asseritur, atque a sacramentali potestate ordinis in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adiuncti simili modo ac in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1

positi distinguitur, ex eo conficitur, ut a missibilis et non sacramentalis sit.

Deinde in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 allati Magister nomine *virtutis sacramenti*, quae extra Ecclesiam nulli confertur, in § 3 autem dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi nomine *effectus potestatis acceptae sacramento tenus*, quo recedentes ab integritate fidei penitus privantur, et nomine *exsecutionis* promiscue utitur.

Suppositio igitur de exsecutione vel effectu potestatis sacramentalis vel virtute sacramenti ordinis sacerdotibus amittenda potestatem non sacramentalem non denotanti cunctae structurae dicti p. c. 97 C. I q. 1 et dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 relati adversatur, in quibus unica distinctio tantum duobus elementis constans datur, et in quibus tertio elemento fundando, videlicet praefatae exsecutioni vel effectui vel virtuti sacramenti ordinis aliquid aliud, quam potestatem non sacramentalem denotantibus, locus non est.

Immo suppositio praefata etiam assertioni Gratiani de *potestate* sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amittenda in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi allatae, atque assertioni eiusdem de *potestate* excommunicandi haereticis tantum in haereticos habita, ergo de potestate aliquibus haereticis olim in Ecclesia habita et postea amissa, in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 positae, contraria esset, sacerdotes enim eiusmodi potestatem non sacramentalem etiam in Ecclesia deficientem, quam igitur in Ecclesia non habuerunt, in ea vel extra eam amittere efficiatur, quod absurdum est.

Quia autem haereticorum facultas non sacramentalis haereticos excommunicandi *potestas* vocatur, inconveniens esse videtur, ut catholicorum excommunicandi facultas non sacramentalis secundum Gratianum potestas non sit, et hoc quidem eo magis, quod sive catholicorum sive haereticorum excommunicandi facultas iisdem nominibus et expressionibus promiscue adhibitis a Magistro vocata sit, ut: *non valet, exsecutio, administratio, virtus sacramenti ordinis, sententia minime teneri, non potest, ecclesiasticae auctoritatis pondus habere non poterunt, et potestas*.

Insuper in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 annexo exsecutio vocatur *exsecutio potestatis officii*, Gratianus autem de potestate ligandi et solvendi seu benedicendi vel maledicendi disserens *eum, qui ex officio maledicit*, eo, cui maledicitur, *maiorem esse* asserit⁵⁵. Magister igitur de eadem hic atque in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi exsecutione disserit, ubi eam nomine *exsecutionis officii* vel *effectus potestatis* sacramento tenus acceptae vocat. Benedictio ergo vel maledictio aut ligatio vel solutio in officio insita

⁵⁵ Dictum Gratiani p. c. 4 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [76—78].

potestatis cuiusdam nota praedito secundum Gratianum potestatem denotat.

Cum autem potestas sacramentalis secundum Gratianum amitti non possit, ille autem, "qui ab integritate catholicae fidei recedit" maledicendi vel benedicendi potestatem non habere, i. e. ea privari dicatur, ex hoc consequitur, ut haereticus *officium* et cum eo potestatem amittat, quae non sacramentales sunt.

Talis conclusio cum opinione Gratiani penitus concordat. Iste enim sacramentum ordinis ita cessare tenet, ut ipsa sacramenti, ergo et sacramentalis potestatis, veritate non minuta, officium illud administrandi vel exsequendi (nomina enim haec promiscue a Gratiano adhibentur) vel loco vel tempore vel promotione cesset⁵⁶. In § 3 autem dicti p. c. 97 C. I q. 1 allati Magister de officio et executione officii disserens nomine officii, ut ex argumentandi structura in cuncto hoc dicto adhibita apparet, elementum inamissibile et sacramentale, nomine vero executionis officii elementum non sacramentale, quia amissibile, denotat. Namque ibidem legimus: „Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem vel episcopalem unctionem accipiunt, officium et executionem sui officii ex consecratione adipiscuntur. Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis penitus priuantur...”

Cum igitur in utroque dicto simili modo constructo, videlicet illo p. c. 37 C. XXIV q. 1 et illo p. c. 97 C. I q. 1 relato, de haereticis agatur, et cum in primo dicto potestas non sacramentalis ligandi vel solvendi seu benedicendi vel maledicendi cum officio amissibili connexa sit, cur executio ab officio sacramentali in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi seiuncta, et ut elementum amissibile distinctionis ibidem peractae a Magistro praeter inamissibilia etiam amissibilia officia agnoscenti considerata atque nomine executionis officii vel effectus potestatis acceptae sacramento tenus vocata pari modo ac in primo dicto potestas in officio sed iam amissibili insita non sit, non video.

Ex verbis non posse, non valere, potestatem non habere, et similibus, executionis nomen et verbum exsequi comitantibus vel cum eis promiscue a Gratiano adhibitis de nomine executionis et verbo exsequi potestatem ecclesiasticam haereticis non habitam denotantibus concludimus.

Conclusioni tamen de distinctione inter sacramentalem ordinis potestatem et potestatem non sacramentalem, nominibus executionis, effectus, et virtutis sacramenti ordinis vocatam, a Gratiano peracta obici possit, quod, cum Augustinus, ut supra ani-

⁵⁶ Dictum Gratiani p. c. 39 C. I q. 1; vide supra, pag. [23] nota 6.

madversum est, inter sacramentalem ordinis potestatem, ius dandi baptismum et ordines vocatam eamque ex consecratione provenientem, et potestatem non sacramentalem haereticis non habitam atque in officiorum vel honorum administratione consistentem necnon ex permissione Ecclesiae dependentem distinxerit, incongruum sit, ut Gratianus simili distinctione Doctori illi Ecclesiae opponat.

Sane Augustinus praefatam distinctionem perfecit, sed tantum sacramentalem ordinis potestatem ex consecratione proveniri asserit, *potestatem vero non sacramentalem ex permissione Ecclesiae* dependere affirmat, neque huius potestatis ex consecratione provenientis ullam mentionem facit.

Gratianus vero potestatem non sacramentalem *ex consecratione* proveniri asserens eamque cum sacramento ordinis conexam esse ostendes nomine *exsecutionis* potestatis distribuendi sacros ordines, et nomine *effectus* potestatis acceptae sacramento tenus in dicto p. c. 97 C. I. q. 1 relato, atque nomine *virtutis* sacramenti ordinis in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 posito vocat.

Magister igitur ratione diversae potestatis in diversis sacramentis insitae atque ratione diversi non sacramentalis potestatis sacerdotalis fundamenti, non vero ratione ipsius distinctionis inter sacramentalem ordinis potestatem et potestatem non sacramentalem Augustino opponit. Sed de his infra sermo erit.

Eidem conclusioni de distinctione inter sacramentalem ordinis potestatem eamque inamissibilem et potestatem non sacramentalem eamque amissibilem nominibus exsecutionis, effectus potestatis sacramento tenus acceptae, et virtutis sacramenti ordinis vocatam ita etiam obici possit: Sententia Gratiani de sacramentis a sacerdotibus suspensis, degradatis, depositis, et haereticis celebratis anceps atque ambigua est. Iste enim sacramenta ab aliquibus sacerdotibus in forma Ecclesiae administrata interdum valida, interdum vero invalida esse tenet.

Namque Magister, ad hunc ultimum casum quod attinet, in § 2 dicti p. c. 97 C. I. q. 1 positi ita scribit: „Suspenso enim uel deposito sacerdote, *nulla ei relinquitur potestas sacrificandi...* Degradatus enim episcopus *potestatem largiendi sacros ordines non habet...*” In § 1 autem dicti p. c. 4 C. XXIV q. 1 allati de haereticis ab Ecclesia recedentibus haec legimus: „Quicumque ergo ab unitate ecclesiae (que per Petrum intelligitur) fuerit alienus, execrare non potest, *consecrare non ualet*; excommunicationis uel reconciliationis *potestatem non habet.*”

Ut igitur ex verbis § 2 primi supra laudati dicti de potestate sacrificandi et sacros ordines largiendi, ergo de potestate consecrandi adempta, sic ex verbis § 1 secundi dicti de potestate consecrandi eiusmodi sacerdotibus non habita, idcirco etiam de utra-

que consecratione, utputa Eucharistiae vel episcopi, non nisi invalide ab eis peracta et prorsus nulla reputanda constare videtur.

Praefata tamen obiectio solido fundamento destituta est. Imprimis enim expressiones *exsecrare non potest*, et *consecrare non valet* ipsam Eucharistiae confectionem vel episcopi consecrationem non necessario denotant. Namque earum contextus ratione habita, in quo de haeticorum excommunicandi atque iudicandi potestate praecipue sermo est, verbis consecrare et exsecrare similem verbis benedicere et maledicere significationem vel tantum ambitus iudicandi vel benedictionis non sacramentalis propriam et, ligatione vel solutione excepta, nullatenus validam vel invalidam sacramentorum administrationem respicientem, neque ullo modo potestatem sacramentalem tangentem habere videntur.

Similitudinis tamen dicti p. c. 97 C. I q. 1 cum dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 posito ratione habita verba *consecrare* et *exsecrare* secundo laudato dicto inserta non solum ipsam potestatem iudicandi, verum etiam huius potestatis a iudice ecclesiastico ademptae effectum in sacramentorum administratione consistentem significare affirmanda sunt, quo in casu etiam de potestate sacramentali adempta, idcirco et de administratione sacramentorum invalida conici possit.

Eadem tamen similitudinis utriusque praefati dicti ratio, et quidem solidiore atque firmiore argumento fundata, ad contrariam nos sententiam agnoscendam ducit.

De potestate tantum sacramentali sive ad consecrationem Eucharistiae sive ad ordines conferendos sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amittenda, de quibus in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relati sermo est, iam supra plura diximus.

Ad expressiones vero *exsecrare non potest*, et *consecrare non valet* in dicto p. c. 4 C. XXIV q. 1 positio adhibitae et potestatem non sacramentalem amissam denotantes quod attinet, ea tantum haec animadvertenda sufficere putamus: Ut principium, § 1, et § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi, sic etiam dicta p. c. 3 et p. c. 4 C. XXIV q. 1 adiuncta, immo et principium atque § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 annexi usque ad verba: „Sed aliud est potestas officii, aliud executio” ut expositio status quaestionis (late sumpta) a Magistro data consideranda sunt.

Deinde, ut post § 2 in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi, sic post dictum p. c. 4 C. XXIV q. 1, et, nullo alio dicto interiecto, post obiectionem ex auctoritate Augustini in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 relati desumptam solutio quaestionis datur, in qua ex professo simile principium cunctae quaestionis de haeticorum potestate excommunicandi recte solvendae ponitur. In hoc autem principio distinctio inter sacramentalem potestatem sacerdotalem eamque inamissibilem et potestatem sacerdotalem non sacramentalem eamque amissibilem datur, quae cum aliis de-

clarationibus Magistri pari modo ex professo edictis de sacramentis a quibusvis sacerdotibus indignis in forma Ecclesiae valide celebratis penitus concordat.

Secundum igitur hoc principium ut enuntiationes in utroque praefato quaestionis statu, nimirum sive in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 sive in dicto p. c. 4 et p. c. 37 C. XXIV q. 1 relato usque ad verba: „Sed aliud est potestas offitii, aliud executio”, sic enuntiationes post utrumque praefatum principium positae et ad eandem rem spectantes, quae quovis modo ipsi earum auctori ut opinio eius propria adscribi possint, existimandae sunt.

Hac unice iusta recte interpretandi regula admissa non solum vaga illa suspicio, iuxta quam suspensi, degradati, depositi, vel haeretici sacerdotes secundum Gratianum sacramenta valide celebrare nequeant, verum etiam falsa illa, iniuriosa, et ipsa vacillans opinio de Magistro in sacramentis ab eiusmodi sacerdotibus celebratis interdum validis, interdum vero invalidis agnoscendis vacillanti, idcirco et sibimet ipsi contrario⁵⁷ evanescit. Haec tamen ex infra dictis latius patebunt.

De potestate non sacramentali eaque amissibili *administrationis* seu *executionis* nomine a Gratiano vocata et degradatis amittenda etiam ex c. 39 C. XXIV q. 1 et dicto post hanc auctoritatem allato aliisque Magistri enuntiationibus illustrato concludi potest.

Magister in c. 38 et in c. 39 C. XXIV q. 1 auctoritates Augustini de modo clericos criminosos ex haeresi ad fidem conversos in Ecclesia recipiendi tractantes refert. In laudato c. 39 legimus: „Subdiaconus quondam Hispaniensis ecclesiae... cum ab accessu indisciplinato sanctimonialium prohiberetur, atque ordinata et sana precepta contempneret, a clericatu remotus est. § 1. Ego... istum modum seruo, ut quisquis apud eos propter disciplinam *degradatus* ad catholicam transire uoluerit, in *humiliatione penitentiae recipiatur*, quo et ipsi forsitan eum cogent, si apud eos manere uolisset.”

In dicto post hanc auctoritatem annexo Gratianus praefatam Augustini assertionem „non propter *sententiam, cuius potestas*

⁵⁷ Opinionem de Gratiano sacramenta extra Ecclesiam celebrata, excepto baptismo, quasi interim valida interdum vero invalida agnoscenti ex parte refert, praeter modum fovet, et frustra probare conatur Adam Zirkel in libro nuper edito: „*Executio potestatis*”, *Zur Lehre Gratians von der geistlichen Gewalt* (1975), Münchener Theologische Studien III. Kanonistische Abteilung 33 Band, pag. 3—4, 154—162, et passim. In hac enim parum exulta dissertatione et veritas graviter laeditur et methodus ad explorandam rem haud facilem necessaria non servatur, quod Lectori nostro magis magisque patebit. Errores vero adversus rectum interpretandi atque concludendi modum commissos et in hac dissertatione longe lateque diffusos in recensione nuper facta generali modo indicavi, quae occasione data publicabitur.

nulla est extra ecclesiam, sed in detestatione criminum, que in hereticis, sicut in catholicis, eque sunt punienda” pronuntiatam esse asserit. Potestas igitur sententiae, de qua hic, non alia est, nisi ecclesiastica iudicandi potestas, quae extra Ecclesiam non est. De potestate ergo in casu agitur, quae recedentibus ab Ecclesia amittitur, idcirco sacramentalis non est.

At Augustinus de subdiacono non solum ab haeticis *a clericatu remoto*, verum etiam *degradato* in *humiliatione poenitentiae* in Ecclesia recipiendo loquitur. Nomine autem *clericatus* in casu vel *communitas clericorum* vel *effectus institutionis* receptae, non vero ordo amittendus indicatur. Hoc etiam verbis in *humiliatione poenitentiae* annotatur, qua, ut ex infra dictis patet, aliquis clericus criminosus ipsa veritate sacramenti ordinis nullatenus deminuta afficitur. Quia autem Augustinus expressionem *a clericatu remotus* cum verbo *degradatus* promiscue adhibet, utraque sanctio de potestate non sacramentali, nullatenus vero de sacramentali ordinis potestate amittenda intelligenda est.

Gratianus in laudato dicto post hanc auctoritatem adiuncto praefatam Augustini assertionem, quae de potestate non sacramentali *degradatis* amittenda intelligenda est, nec negat, neque emendat. At de opinione Magistri huic sententiae Augustini simili ex auctoritate in c. 43 C. I q. 1 relata et in dicto post eam posito explicata constat.

In praefata auctoritate epistola de chorepiscopis refertur, quam Leoni Papae ante tempora Pseudoisidori suppositam esse constat, in qua legimus: „Si qui episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo dampnum proprii honoris euaserint, *ordinationis tamen ius ulterius non habebunt*, nec illi umquam sacramento intererunt, quod inmerito prestiterunt.”

In dicto autem post hanc auctoritatem annexo haec legimus: „Ecce cum honoris periculum eudadant, ut *cetera sacramenta sacerdotaliter administrare permittantur*, ab hoc solo non modo pro heresi uel qualibet maiori culpa, sed etiam pro negligentia *remouentur*. In quibus omnibus sollicite notandum est, quod sacramentum sacerdotalis promotionis pre ceteris omnibus magis accurate et digne dandum uel accipiendum est, quia nisi ita collatum fuerit, *eo desinet esse ratum*, quo non fuerit rite perfectum. Cetera enim sacramenta unicuique propter se dantur, et unicuique talia fiunt quali corde uel conscientia accipiuntur. Istud solum non propter se solum sed propter alios datur, et ideo necesse est, ut uero corde mundaque conscientia, quantum ad se, sumatur, quantum ad alios uero non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia, propter fratrum scandalum, ad quorum utilitatem, non solum ut presint, sed etiam ut *prosint*, sacerdotium datur.”

Secundum igitur Gratianum non solum *remotio a clericatu*, ut

aiebant, de qua in auctoritate Augustini in c. 39 C. XXIV q. 1 relata sermo est, sed etiam remotio ab ipso ordinis sacramento, quae nihil aliud est, nisi *administratio* vel collatio huius sacramenti *interdicta*, de qua ratione vel utilitatis fovendae vel scandali vitandi, i.e. efficaciae moralis huius sacramenti administrandi respectu habito, in dicto p. c. 43 C. I q. 1 allato agitur, neque ipsius huius sacramenti, neque sacramentalis eius potestatis ullam amissionem secumfert.

Episcopi enim, qui tantum ab *administratione* sacramenti ordinis, alibi *executionis* nomine a Gratiano vocata, remoti sunt, cetera sacramenta sacerdotaliter administrare posse dicuntur. Sane iidem episcopi sacramentum ordinis conferre seu administrare non permittuntur, sed differentia inter administrationem huius sacramenti prohibitam et administrationem aliorum sacramentorum permissam tantum in eiusdem administrationis seu executionis interdum permissae, interdum vero interdictae ambitu versatur, quo sacramentalis potestas non astringitur. Causa enim remotiois a solo ordinis sacramento administrando inter cetera *haeresis* vel quaevis *maior culpa* indicata est. Ad haeresin autem quod spectat, Gratianus in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relati hanc regulam ponit: „Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis penitus priuantur.”

Quia igitur secundum Gratianum neque sanctio remotiois a sacramento ordinis partialis, i.e. huius tantum sacramenti administrationis seu collationis prohibita, neque totalis, i.e. administrationis omnium sacramentorum sacerdotaliter peragendae interdictae, ratione haeresis alicui imposita ullatenus amissionem sive ipsius sacramenti ordinis sive sacramentalis eius potestatis denotat, neque sanctio totalis amotionis a clericatu in prohibitione quibusvis officiis sacerdotalibus fungendi consistens et propter aliquam maiorem culpam sacerdotibus imposita de amissione sive sacramenti ordinis sive sacramentalis eius potestatis intelligenda est.

Quia in auctoritate in c. 43 C. I q. 1 relata de ordinationis iure ulterius non habendo, in dicto autem post hanc auctoritatem annexo de remotioe ab ipso ordinis sacramento in ordinum collatione prohibita consistenti, in § 2 vero dicti p. c. 97 C. I q. 1 allati de nulla potestate sacrificandi sacerdoti suspensio vel deposito relicta et de episcopo degradato potestatem largiendi sacros ordines non habenti sermo est, ex hoc efficitur, ut id, quod sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amittitur, ius vel potestas non sacramentalis sit.

Sed ex supra dictis etiam de characterem huius potestatis non sacramentalis atque de indole sanctionum a Gratiano enumeratarum concludi potest.

Quia Magister ut in dicto p. c. 97 C. I q. 1 allato, ubi de sa-

cerdotum suspensorum, degradatorum, depositorum, et haeticorum potestate baptizandi, Eucharistiam consecrandi, et sacros ordines largiendi agit, sic in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 posito, ubi de sacerdotum suspensorum, et haeticorum excommunicandi potestate praecipue disserit, inter sacramentalem ordinis potestatem, quam inamissibilem esse tenet, et potestatem non sacramentalem eamque amissibilem distinguit, ex hoc sequitur, ut sacramentalis potestas sive ligandi vel solvendi sive cetera sacramenta ministrandi in eiusmodi sacerdotibus remaneat, quamobrem omnia officia sacerdotalia ratione solius huius potestatis administrata valida esse debeant.

Ita tamen non est. Cum enim Gratianus sacramenta a quibusvis sacerdotibus indignis illicite ministrata ratione sui valida esse asserat in § 7 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relati ita scribens: „Sciendum uero est, quod sacramenta hereticorum dicuntur *irrita*, uel etiam *dampnanda*, *falsa* et *inania*, non quantum ad se, cum sint *sancta* et *uera* etiam ab heretico celebrata, sed quia, cum illicite dantibus perfidis sint ad iudicium, illicite ab eis accipientibus non conferunt Spiritum sanctum. *Irrita* et *non uera* dicuntur, quia quod promittunt et conferre creduntur non tribuunt, et ideo *dampnanda*, ut ea dari uel recipi ab hereticis non approbetur sed *interdicatur*. Non enim quantum ad se polluta sunt, quamuis ab hereticis pollui dicantur”, de potestate ligandi vel solvendi disserens in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 posito sententiam ab haeretico latam pondere carere, catholicum *sententia haeretici minime teneri* affirmat. Nihil est igitur, ut sententiam eiusmodi validam esse putemus.

Ut ex comparatione hac patet, significatio similium sanctionum in ambitu iudiciali, et sanctionum in ambitu ceterorum sacramentorum administrandorum adhibitarum, quamvis sacramentalis potestas ordinis in utroque casu sacerdotibus insit, valde diversa est. Actus enim in ceteris sacramentis ministrandis consistens, etsi indigne et illicite absolutus et perfectus sit, ratione tamen solius sacramenti validus est, nam sacramenta haec etiam ab haeretico celebrata sancta et vera esse asseruntur. Actus uero ligandi vel solvendi ab eodem haeretico, quamvis sacramentali ligandi vel solvendi potestate pollenti, perfectus prorsus invalidus est, nam Gratianus sententiam ab haeretico latam pondere carere et catholicum *sententia haeretici minime teneri* affirmat.

Secundum Gratianum igitur omnes sanctiones in ceteris sacramentis ministrandis latae, etiam illae severissimae, quibus sacramenta ab haeticis celebrata irrita, dampnanda, falsa, inania, et non vera esse pronuntiantur, non de sacramentis in se ipsis consideratis, quae sancta et vera

sunt, sed tantum de effectu sacramentorum non accepto atque de eorum executione vel administratione illicita et interdicta intelligendae sunt. Omnes vero sanctiones ad ambitum potestatis ligandi et solvendi seu iudicandi spectantes, et supra indicatae⁵⁸, invaliditatem actuum denotant, quamvis eiusmodi actus a sacerdote sacramentali ligandi et solvendi potestate pollenti absoluti et perfecti sint.

Quia autem Gratianus cum eiusmodi sanctionibus sanctionem *executionis* sacerdotibus suspensis amissae seu *administrationis* eis interdictae in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 allati promiscue adhibet⁵⁹, ex hoc efficitur, ut secundum Magistrum eadem potestas amissibilis ligandi et solvendi seu iudicandi ut nominibus *executionis* et *administrationis*, sic etiam aliis nominibus vel expressionibus ibidem adhibitis, ut: *non valet*, et *potestas*, denotata sit.

Gratianus haereticos neminem damnare posse ex eo probat, quod potestas ligandi vel solvendi *veris*, non autem *falsis* sacerdotibus a Christo tradita est, qui antequam Apostolis dixit: „Quorum remiseritis peccata, etc.”, praemisit dicens (Io 20, 22, 23): „Accipite Spiritum sanctum.” Quia autem haeretici, qui extra Ecclesiam sunt, Spiritum Sanctum non habent, secundum Magistrum peccata tenere vel remittere non possunt⁶⁰.

Inde autem efficitur, ut Gratianus non solum nomine falsorum sacerdotum haereticos vocet, et sanctionibus potestatem iudicandi respicientibus etiam sanctiones ad potestatem peccatorum remittendorum spectantes comprehendat, verum etiam ut potestas peccatorum remittendorum sanctionibus his moderata non sacramentalis sit, eiusque autem ademptio invaliditatem actus secumferat.

Namque sacerdos catholicus hac potestate pollens dum haereticus, i. e. falsus sacerdos fit et ab Ecclesia recedit potestatem ligandi vel solvendi seu peccata remittendi amittit. Idem tamen sacerdos haereticus factus atque extra Ecclesiam positus sacramentali potestate ligandi et solvendi vel peccata remittendi vel iudicandi etiamnum pollet, nam Gratianus de potestate ligandi et solvendi vel peccata tenendi et remittendi vel excommunicandi vel sententiam ferendi in dictis p. c. 3 p. c. 4, et p. c. 37 C. XXIV q. 1 indiscriminatim disserens eam in sacramentalem atque inamissibilem nomine *potestatis officii* vocatam et non sacramentalem atque amissibilem nomine *executionis* vel *administrationis* appellatam in dicto p. c. 37 supra laudato distinguit.

⁵⁸ In dicto nempe introductorio q. 1 C. XXIV, et in dictis p. c. 3, p. c. 4, et p. c. 37 C. XXIV q. 1 positis vide supra, pag. [76—78].

⁵⁹ Vide supra, pag. [78].

⁶⁰ Dictum Gratiani p. c. 4 C. XXIV q. 1; vide supra, pag. [76—77].

Secundum Gratianum potestas ligandi vel solvendi potestate clavium a Christo Petro data, i.e. primatu Petri fundatur. Cum enim Christus *aequalem omnibus* discipulis potestatem ligandi vel solvendi daret, *Petro pro omnibus et prae omnibus* claves regni caelorum se daturum promisit. Omnis igitur, qui ab unitate Ecclesiae, quae per Petrum intelligitur, alienus sit, secundum Magistrum nec consecrare, nec exsecrare valet, nec potestatem excommunicandi vel reconciliandi habet ⁶¹.

Non est dubium, quin potestas clavium Petro pro omnibus et prae omnibus discipulis a Christo data etiam Romano Pontifici Petri successori secundum Gratianum competat, secus enim omnes assertiones Magistri de haereticis ab unitate Ecclesiae, quae per Petrum intelligitur, separatis et hac de causa potestate non sacramentali ligandi vel solvendi non pollentibus, ipso Petro ante tot saecula iam mortuo omni ratione prorsus destitutae essent.

Quia autem potestas non sacramentalis sive illa ligandi vel solvendi sive illa cetera sacramenta ministrandi etiam ex consecratione seu ordinis sacramento suscepto dependet ⁶², et quia potestate hac ratione separationis a primatu Petri, i.e. Romani Pontificis, deficienti, quamquam sacramentalis potestas adest, omnis actus ligandi vel solvendi seu iudicandi invalidus efficitur, actus vero cetera sacramenta ministrandi tantum illicitus, non autem invalidus redditur, inde consequitur, ut secundum Gratianum auctoritatibus Decreti fultum potestas non sacramentalis in cuncto ambitu iudiciali pari modo ex primatu Romani Pontificis, quam ex sacramentali ordinis potestate dependens sit.

Quia deinde omnis sacramentalis potestas ordinis in episcopali gradu summa est, potestas vero ligandi vel solvendi Petro pro omnibus et prae omnibus discipulis a Christo data est, inde efficitur, ut Magister duas potestates in Ecclesia existentes, aliam nempe sacramentalem, ordinis sacramento fundatam, aliam vero non sacramentalem primatu Petri et Romani Pontificis fundatam, licet etiam cum sacramento ordinis connexam, agnoscat.

Gratianus potestatem non sacramentalem ligandi vel solvendi in variis praelatorum ecclesiasticorum gradibus ex Romano Pontifice dependentibus diversa in mensura insitam tantum in Ecclesia esse tenet dum scribit: „quia sicut ille, qui benedicit, maior est eo, cui benedicitur, ita *qui ex officio maledicit maior est eo*, cui maledicitur, liquido constat, eum, qui ab integritate catholi-

⁶¹ Vide § 1 dicti p. c. 4 C. XXIV q. 1 supra, pag. [76—77] relata.

⁶² Vide § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 positi, supra, pag. [78] relata. — Cf. § 2 et § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 annexi, supra, pag. [11] relatas.

cae fidei recedit, maledicendi uel benedicendi *potestatem* minime habere. Catholicum namque, utpote *superiorem se, maledicere non ualet*; in alienum a fide, tamquam *in sibi equalem, sententiam dare non potest*. Hec autem, que de hereticis, atque scismaticis, uel excommunicatis dicta sunt, uidelicet, quod ligandi uel solvendi *potestatem non habent*, multorum auctoritatibus probantur ⁶³."

Potestas igitur ligandi et solvendi primatu Petri fundata, quia Petro pro omnibus et prae omnibus discipulis a Christo data est, solummodo in Romano Pontifice Petri successore pleno gradu inest, in aliis vero limitata est, et nonnisi in subditos proprios exerceri potest. Haeretici autem ex quo ab Ecclesia recesserunt, nullos in ea subditos habent, idcirco et pondus ecclesiasticae auctoritatis in catholicos habere non possunt. Praeterea Gratianus potestatem excommunicandi nonnisi fidelibus in fideles habitam exemplo Pauli Apostoli de excommunicandis scribentis probat ⁶⁴.

Quia autem potestas ligandi et solvendi potestas primatus est, Gratianus autem de potestate ligandi vel solvendi disserens eam nomine *exsecutionis* vel *administrationis* vocat ⁶⁵, inde consequitur, ut sub *exsecutionis* vel *administrationis* nomine potestatem primatus praerogativa Romani Pontificis fundatam esse intel- ligat.

Cum nomine *exsecutionis* potestatem sacerdotalem non sacramentalem eamque amissibilem a Gratiano denotatem esse constet, Magister autem nominibus *exsecutionis potestatis distribuendi sacros ordines, exsecutionis officii, effectus potestatis acceptae sacramento tenus, administrationis, et virtutis sacramenti* ordinis promiscue adhibitibus non solum potestatem non sacramentalem in licita administratione aliquorum sacramentorum, ut consecrationis Eucharistiae vel collationis ordinum, verum etiam in iustitia moderanda, i.e. in officio iudicandi consistentem denotet, ergo omnem officiorum sacerdotalium ambitum comprehendat, iam ex hoc solo de eadem significatione ut *exsecutionis* et nominum enumerato- rum, sic nominis *iurisdictionis*, ut aiunt, sive lato sensu omnis nempe potestatis ecclesiasticae non sacramentalis sumptae, sive sensu stricto potestatis tantum iudicialis intellectae, concludi possit. Sed de his infra sermo erit.

Similitudine utriusque problematis attenda, illius nempe in q. 1 C. I et illius in q. 1 C. XXIV a nobis examinati, sive eadem potestatis sacerdotalis distinctione sive praecipuorum dictorum eadem structura fundata, cur utraque haec quaestio in uno

⁶³ Vide § 1 dicti p. c. 4 C. XXIV q. 1; supra, pag. [76—77] relatam.

⁶⁴ Ibidem.

⁶⁵ In § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 positi; vide supra, pag. [78].

eodemque Decreti loco simul posita non fuerit, sciscitari potest.

Ut nobis videtur, utraque praefata quaestio sive ratione suae amplitudinis et magni variorum problematum numeri sive ratione efficaciae potestatis non sacramentalis in utroque casu diversae, eiusdem enim potestatis defectio actum sacramentorum administrandorum, excepto baptismo, tantum illicitum, actum vero iudicandi prorsus invalidum efficit, sive demum ratione consuetudinis utramque quaestionem easdem forsitan ob causas separatim tractandi iam pridem receptae diversis in Decreti locis posita est.

Quaestione de significatione nominis executionis examinata nunc de significatione nominis *effectus* in applicatione distinctionis potestatis sacerdotalis in § 3 dicti p.c. 97 C.Iq.1 allati cum nomine executionis parallelo modo a Gratiano adhibiti atque simul cum hoc nomine unum idemque praefatae distinctionis elementum constituentis ratione variarum Magistri enuntiationum habita agendum est.

(continuabitur)